



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

94. Aliqua curiosa circa Patrinum Baptismi notantur? Primò, quod uxor simul cum marito filium alterius in Baptismo suscipiens, nulla auctoritate reperitur prohibitum. Secundò, quod duo viri etiam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

salis, nempe quod in tali materia debeat versari Iudicis arbitrium, in animadvertendo si puer hujus ætatis septem annorum sit vivacis ingenij, & maliciosus, ut intelligat quid petat, vel si sit obtusus, ita ut quid petat ignoret; quamvis si conjectura essent ambigua, tunc mihi suaderem esse faciendam interpretationem in favorem fidei, & sic pro Baptismo. Ita Novarius.

RESOL. XCIII.

An cognatio spiritualis contrahatur in Baptismo à Patris, si non fuerint designati etiam à Parocho, sed tantum à parentibus vel tutoribus baptizandi?

Ex quo alia deducuntur in textu hujus Resolutionis circa prædictum casum. Ex part. 9. tract. 7. & Milc. 2. Res. 50.

§. 1. Sufficere tantum, ut sint designati ad munus patris à parentibus baptizandi, & non simul à Parocho, docet Sanchez lib. 7. disp. 57. num. 15. & alij.

2. Sed Texeda in Theol. moral. tom. 2. lib. 4. tract. 2. contr. 22. num. 25. putat hanc sententiam verbis Concilii Tridentini. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2. contrariari; nam ibi dicitur sic: *Eos, qui à parentibus baptizandi designati sunt, ut officium patris exerceant, debere etiam à Parocho admitti.* Ex quibus verbis sic deducit argumentum contra hos Auctores: Quoties in jure petitur aliquid, tanquam forma ad valorem actus, illud ad unguem observandum est; sed ad exercendum munus patris in Concilio Tridentino exigitur, tanquam forma, ut ij, qui debent esse patris, designentur à parentibus baptizandi, & quod etiam admittantur à Parocho, ut receptores baptizati; ergo utrumque requiritur, & unum sine alio non sufficit. Confirmatur: quia eodem modo loquitur Concilium de necessitate designandi patris à parentibus baptizati, ac admittendi eos à Parocho.

3. Verum novissimè Cætrus Palau tom. 4. tract. 19. disp. unica, punct. 11. §. 2. num. 9. putat, neque designationem parentum, seu tutorem baptizati necessariam esse, ut verus patris sit, veramque cognationem spirituales contrahas, & in primis necessaria non est, quando unus tantum assumitur, qui tamen à parentibus baptizati designatus non sit. Contingere enim potest, parentes baptizandi Petrum in patris designare; Parochum verò, eo illegitime repulso, te in patrismittere: tunc eo casu verus patris es, veramque cognationem spirituales contrahas; ut rectè docuit Ludovicus Vega 2. part. cas. conf. casu 4. vers. Alteram. Henriquez lib. 12. de matrim. c. 11. num. 3. Quia nullus est textus, Ecclesiam velle eo casu Baptismum sine fideiussore celebrari. Deinde, si nullus est à parentibus, vel Parocho designatus, vel ex malitia, vel ex ignorantia; tu verò munus susceptoris obeas; quis negare poterit, te verum esse patris? siquidem intentioni Ecclesie te conformas. Neque præsumitur celebrari sine patris. Ob quam causam existimo, cum nullus est à parentibus designatus, & plures simul baptizatum suscipiunt; omnes patris esse, veramque cognationem spirituales contrahere; quia ex duobus malis minus est eligendum. Etenim, cum eo casu unum de duobus debeat contingere, vel Baptismum solemnem celebratum

esse absque patris, vel omnes suscipientes patris esse; fatendum est, Ecclesiam velle hoc secundum, ne Baptismus solemnis contra consuetudinem à tempore Apostolorum probatam de patris adhibendo celebretur, præcipuè cum hac intentio conformis sit antiquis sacrorum Canonum institutis, cap. Non plures, de consecr. dist. 4. &c. fin. de cogn. spirit. in 6. à quorum decisione recedendum non est, nisi novis statutis derogatum sit, l. Præcipimus. C. appellationib. Sed novo Trident. Decreto derogatum non est quoad hanc partem. Textus in cap. fin. de cognat. spirit. Si quidem Concilium solum à patris munere, cognationis que spiritualis impedimento exclusit eos, qui ultra designatos baptizatum tetigerint; supponens manifestè, designatos tangere, & veram cognationem spirituales contrahere, De illis verò; qui baptizatum tangerent, nullis designatis tangentibus, Concilium nihil expressit. Ergo de illis judicium est ferendum juxta antiquorum Canonum instituta, ac proinde affirmandum veros patris esse, veramque spirituales cognationem contrahere. Hæc omnia Palau, qui citat Coninch, Rebellium, Poncium, Layman, & alios.

4. Verum ego cum Martino Perez de matrim. disp. 29. sect. 5. n. 5. & communi sententia Doctorum dicendum puto, designationem patris speciare ad parentes, vel ad illos, quibus incumbit cura baptizandi. Sic innuitur in Trident. & ita habet usus, & praxis Ecclesiarum. In horum verò defectum pertinet ad baptizantem; quia ei incumbit, ut legitime Baptismus celebretur; quod non fieret absque patris. Unde fit, ut si parentes ritè unum, vel duos designassent, non possent isti validè à Parocho rejici, vel alios designare: si enim id faceret, irritè faceret, nec ipsi fierent cognati. Si verò parentes nullum designare vellent, spectaret ad Parochum; vel si non ritè designarent, ut si designarent Hæreticos, non baptizatos, vel alios inutiles. Et ita puto contra sententiam Texeda.

5. Contra verò opinionem Cæstri Palai, & aliorum vide Suarez in 3. part. tom. 3. q. 67. art. 8. Mœratium tr. de matrim. disp. 9. sect. 9. n. 8. & Perez ubi supra, n. 9. asserentes, quòd si nulli patris designati sunt, omnes tangentes non contrahere cognationem spirituales; quia concilium simpliciter voluit, ut non possent esse plures susceptores, quam duo, nempe vir, & femina; & adhuc voluit, ut qui futurus esset susceptor, esset specialiter designatus, & ad id munus admissus; & idè qui designatus non est, nec ad id officium admissus, jam non est susceptor, & consequenter nec contrahit impedimentum; alioquin non evitarentur incommoda, quæ Tridentinum evitare intendit, si possent esse susceptores non designati ad hoc munus, vel plures quam designati. Firmo hoc idem: nam Decretum Tridentini irritat cognationem inter patris non designatos, cum illam restringat ad pauciores personas; ergo petit designationem, tanquam formam, qua non servata corrumpat cognatio. Patet consequentia: quia Decretum irritans semper inducit novam actus formam.

RESOL. XCIV.

Aliqua curiosa circa Patris Baptismi notantur? Primò, quòd uxor simul cum marito filium alterius in Baptismo suscipiens, nulla auctoritate reperitur prohibita.

Secundò, quòd duo viri etiam soli, aut dua mulieres etiam sole, non possunt esse susceptores in Baptismo: ex quo colligitur Parochum contra

contra hoc ex Decreto Concilij facientem peccare mortaliter.

Tertio, quod Hæreticus possit in patrinum admitti, cum Catholicis commode reperiri non possit.

Quarto, quod quando baptizatur filius parentum infidelium, Minister baptizans, & tenens non contrahit cognationem spirituales cum his parentibus non baptizatis. Ex part. 9. tractatu 7. & Misc. 2. Refol. 51.

Sup. hoc magis late infra ex Ref. 101. §. Quarto secundo, & seq.

§. 1. **V**Xorem simul cum marito filium alterius in Baptismate suscipere, nulla auctoritate reperitur prohibitum, ut dicitur in can. *Quod autem*. 30. *quest.* 4. subditur tamen ibi: *Sed dignum esse decernimus, ut utrique insimul ad hoc aspirare minime præsumant.* Quod præterea quidam veniale peccatum esse existimant. Alij nullum peccatum esse dicunt, sed solum minus decens.

Sup. hoc infra, lege doctrinam §. 1. Ref. 96.

2. Notandum est etiam, quod statuit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 2. *de reform. matrim.* ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptismatum de Baptismo suscipiant, &c. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur. Ex quo rectè colligunt aliqui, duos viros etiam solos, aut duas mulieres, etiam solas, non posse esse susceptores. Alij colligunt, Parochum contra hoc Decretum facientem peccare mortaliter, Nonnulli tamen solum venialiter peccare existimant. Et omnia observat hæc etiam Serra in 3. part. D. Thom. q. 67. art. 7. & Perez de matrim. disp. 29. sect. 5. n. 3. & 4.

Sup. hoc in fine §. not. præterita.

3. Nota secundò, Hæreticum posse in patrinum admitti cum Catholicis commode reperiri non potest. Docet Layman *lib.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *q.* 3. *in fin.* Sed hæc opinio admittitur à Castro Palao *tom.* 4. *tr.* 19. *disp.* un. *punct.* 11. §. 1. n. 9. [Si Sacerdos timeat probabiliter, parentes baptizati graviter esse offendendos ob patris hæretici repullam, vel timeat delaturos esse filium ministro Hæretico baptizandum; quia eo casu Sacerdos minus malum permittit, ut graviora evitet. Verum si absque gravi offensione parentum potest Sacerdos Catholicus Baptismum expulso patris hæretico ministrare, nullo tamen adhibito patris hæretici adhibere non potest; credendum potius debere ministrare Baptismum absque patris hæretici adhibere non potest; credendum potius debere ministrare Baptismum absque patris hæretici adhibere non potest.] Ita Palao, quod rationibus confirmat.

Quod hoc lege doctrinam §. Et post Ref. seq. & lege etiam per totam, & si placeat. Vide etiam Ref. ejus annotationu.

4. Nota tertio, quando baptizatur filius parentum infidelium, ministrum baptizantem, & tenentem, non contrahere cognationem spirituales cum his parentibus non baptizatis; sed posse liberè ex hac parte inire cum iis matrimonium, si convertantur ad fidem, & baptizentur, censent Durandus in 4. *dist.* 42. *q.* 1. n. 9. Sotus *q.* 1. *art.* 3. Palatius *disp.* 1. Bartholomæus Ledesma *de matrim. dub.* 46. *concl.* 2. not. 1. Petrus Ledesma *qu.* 56. *art.* 3. Sanc. *lib.* 7. *disp.* 60. Potius *lib.* 7. *c.* 40. Bonacina *qu.* 3. *punct.* 5. §. 2. n. 20. Rebellius *de oblig. just. part.* 1. *lib.* 3. *q.* 6. & quidem alij. Quorum fundamentum est: quia cognatio spiritualis est tanquam mutua relatio: sed infideles ex parte sua non sunt capaces hujus cognationis; ergo nec etiam fideles, qui fuerunt ministri in Baptismo, contrahunt hanc cognationem cum infidelibus parentibus filij baptizati. Alij verò putant, supradictos suo modo cognationem spirituales contrahere, ita, scilicet, ut non possint validè matrimonium cum iis inire, si convertantur, & baptizentur. Ita sentiunt D. Antonius in 3. *part.* 1. *cap.* 15. §. 3. Orbellius in 4. *dist.* 42. *q.* 1. §. 5. Coninch. *hac* 3. *part.* *tom.* 2. *dist.* 32. *dub.* 2. n. 27. Sylvester in *Summ. verbo,*

matrimonium, 8. *quest.* 7. *conclus.* 12. cum aliis.

5. Nec obstat incapacitas ex parte ipsorum infidelium. Tum, quia in tali casu cognatio non esset mutua eodem modo ex parte utriusque extremi, sed esset veluti subjectivè in personis fidelibus, & tantum terminativè ex parte infidelium. Tum, quia esset, & evaderet mutua pro eo tempore & statu, quo infideles ipsi venissent ad fidem, & baptismum. Quod est dicere, lege Ecclesiastica impediri fideles ad incundum matrimonium cum parentibus filij baptizati; & subdendos esse etiam huic impedimento ipsos parentes, quando venient ad fidem. Et idè utraque opinio videtur mihi probabilis.

## RESOL. XCV.

An non baptizatus possit esse patrinus in Baptismo, & cognationem contrahat?

Idem est in Confirmatione.

Et an recipiens postea Fidem, & Baptismum possit validè conjugari cum persona baptizata, aut cum parentibus ejus?

Idem est dicendum in hoc ultimo casu, si persona infidelis baptizaret infantem.

Et quid de Catechumeno, Hæretico, & de aliis diversis personis baptizantibus, vel rebaptizantibus, aut suscipientibus baptizatum? Ex part. 10. tract. 16. Misc. 6. Ref. 89.

§. 1. **A**firmativè respondet P. Aversa in 3. D. *Thomæ*, *quest.* 67. *sect.* 1. *conclus.* 5. qui adducit Archidiaconum, Toletum, Paludanum, & alios; ita ut recipiens postea Fidem & Baptismum, non possit validè conjugari cum persona baptizata, aut cum parentibus ejus. Et ratio est, quia optimè poterat Ecclesia statuere tale vinculum, seu matrimonij impedimentum inter unam personam fidelem, & alteram infidelem, si & quando veniat ad fidem: & in hoc genere ita videtur statuisse hoc impedimentum cognationis absque distinctione & exceptione. Quare si potuit statuere, ac de facto statuit, quando Minister in Baptismo est fidelis, in ordine ad alias personas infideles: ita pariter dici potest, quando Minister ipse est infidelis in ordine ad personas fideles. Et sanè in hoc etiam apparet talis decencia, ut vir infidelis, qui baptizavit puellam, si postea convertatur, non possit eam ducere in uxorem, & ita nec matrem ejus, & sic in quocumque hujusmodi casu, in qua re habemus exemplum in aliis quoque impedimentis matrimonij. Ubi crimen adulterij, & machinationis cum promissione futuri matrimonij inter unam personam infidelem, & alteram fidelem, pariter inducit impedimentum matrimonij, sicut inter duas personas fideles, ex capite 1. de conversione infidelium: & consanguinitas, atque affinitas non solum ex copula, licet sed etiam illicita, & publica honestas, sive ex matrimonio rato, sive ex sponsalibus, non solum inter unam personam infidelem, & alteram fidelem, sed etiam inter ambas infideles, valet adhuc inducere tale impedimentum ex jure ipso Ecclesiastico, ut si convertantur ad fidem, non possint inter se conjugari, sicut non possunt alia persona fideles cum his impedimentis. Et crimen etiam machinationis, vel adulterij inter ipsas personas infideles, videtur impedire inter illas matrimonium, si convertantur ad fidem. Quare sic tandem, etiam si unus infidelis sit Minister

Sup. hoc eundem infra in tr. 2. Ref. 21. ex doctrina §. 2. ad lin. 7. vers. Sed in Baptismo, & ex Ref. 11. §. 2. ante media ref. In Baptismo. Et pro Confirmatione in hoc casu late in Ref. 2. hujus annotat. & in aliis ejus annotat. præ-